

# Allgemeine botanische Zeitung.

( Nro. 15. )

## I. Original-Abhandlungen.

*Plantarum minus cognitarum descriptiones offert*

J. F. Tausch, Prof. Pragensis.

(Confer. Flor. 1829. I. Ergzbl. S. 33.)

1) *Glycyrrhiza grandiflora*: foliolis ovatis acutiusculis undulatis subtus subglutinosi, stipulis subulatis, spicis ovatis pedunculatis folio duplo brevioribus, leguminibus arcuatis nodosis pubescentibus. *G. hirsuta* Hort. Prag. Radix crassa cylindrica repens, stoloniferam nunquam observavi, interne flava, externe dilute rubro fusca, saporis dulcis, sed subfabacei et amariusculi. Caulis erectus 3-4-pedalis striatus superne tenuissime pubescens. Folia 7-8-juga cum impari, foliola ampla ovata acutiuscula aut obtusa undulata, supra lucida, subtus viscidula punctata. Stipulae subulatae falcatae, demum deciduae. Flores violacei, structura *G. glabrae* L. sed multoties majores, et in spicam elegantissimam amplam ovatam condensati. Bractae lineari-subulatae, calyce tenuissime pubescenti breviores. Alae corollae carinam longe excedentes. Legumen lanceolatum falcatum, alternatim nodoso-flexuosum 4-6-spermum, tenuissime pubescens, et hinc inde glandula longe stipitata obsitum. Toto habitu proxime accedit ad *G. glabram* L.

Flora 1831. XIII.

O

2) *Glycyrrhiza foetidissima*: foliolis ovatis utrinque acutis, stipulis subulatis, spicis ovatis densis pedunculatis folio multo brevioribus, foliis caule calycibus leguminibusque 2-spermis hispidis lepidoto-squamosis. *G. foetida* Jacq. eclog. t. 56. ic. opt. Colitur in horto bot. Pragensi. Descriptionem amplissimam vide in Cl. Jacquini opere. Caeterum planta multo aegrius discernenda a *G. echinata* L. quam a *G. foetida* Desf.

3) *Medicago lineata*: leguminibus solitariis orbiculato-contortis 1-anfractuosus margine spinosis, spinis patentibus hamatis, foliolis cuneiformibus apice dentatis subtus nervoso-lineatis cauleque flexuoso rigido villosis, stipulis ovatis integerrimis.

Habitat in Italia, unde a D. Siebero qua *Ononis ornithopodioides* allata fuit.

Species parva rigida condensata ut videtur perennis, habitu ad *M. falcata* L. accedens. Caulis spithameus ab imo ramosus rigidus flexuosus angulatus villosus. Folia 3-nata brevissime petiolata, foliola parva oblongo-cuneata, apice argute dentata, utrinque villosa, subtus nervoso-lineata. Stipulae ex ovato-acuminatae integerrimae lineatae villosae. Pedunculi axillares solitarii 1-flori folio breviores, fructiferi aristati, sub anthesi brevissimi ut flos fere sessilis appareat. Calyx villosus 5-dentatus, dentibus subulatis. Corolla lutea calyce vix longior, vexillo obovato crenulato. Legumen minimum glabrum aut subpubescens perfecte orbiculato-contortum, anfractu solitario margine 3-nervato,

nervo medio prominulo, lateralibus spinosis, spinis subulatis petentibus apice hamatis.

4) *Medicago cuspidata*: racemis axillaribus paucifloris folium adaequantibus, leguminibus orbiculato-contortis 1-anfractuosus reticulatis margine spinulosis, foliolis lanceolatis acuminatissimis cauleque diffuso glabris, stipulis setaceis basi dentatis.

Habitat . . . Culta fuit in horto Canalis.

Annua, diffusa, ramosissima glabra. Petioli longitudine foliolorum, inferiores longiores. Folia 3-nata, foliola lanceolata, summa linearia, basi attenuata, apice subdentata et in acumen exquisitum excurrentia nervoso-striata. Stipulae tenuissimae basi dentatae. Racemi ex omni axilla solitarii folium adaequantes sub 5-7-flori. Flores minimi lutei. Legumen minutum 1-spermum lunato-contortum orbiculatum 1-anfractuosum dorso elevato-reticulatum, margine 1-nervio spinulis brevibus dentato.

5) *Hypericum tenellum*: caulibus filiformibus 4-gonis decumbentibus, foliis ovatis obtusis basi subcordatis amplexicaulibus pellucido-punctatis, corymbo paucifloro, sepalis lanceolatis acuminatis squarrosis integerrimis.

Habitat in montibus Corsicae. 24.

Statura *H. humifusi*, vegetatio et fructificatio fere *H. quadranguli* L. Glaberrimum. Caules pluri cespitosim aggregati, digito vix longiores decumbentes, basi repentes subfiliformes 4-anguli. Folia conferta, aut remota ovata obtusissima, basi

emarginata et subamplexicaulia, nervosa pellucido — non nigro — punctata subtus pallidiora. Corymbus terminalis 3- aut pauciflorus, pedunculis 3- floris, floribus breve pedicellatis. [Calycis sepala aequalia lanceolata acuminata integerrima impunctata, acumine recurvo subsquarroso. Petala oblonga, calyce duplo longiora, lutea impunctata, nervis purpurascens. Stamina in phalanges depauperatas collecta, antheris nigro-punctatis. Styli numero variant 3 — 4, certo et 5 obvenient. Cum *H. humifuso* nil nisi staturam filiformem commune habet.

6) *Erysimum linariaefolium*: caule basi frutescente decumbente, ramis floriferis adscendentibus virgatis, foliis linearibus integerrimis aut denticulatis recurvatis strigosis viridibus, unguibus calyce vix longioribus, laminis obovatis, stigmate stipitato.

Habitat in Dalmatia.  $\S$ .

Truncus basilaris frutescens ramosus, absque radice 1' longus decumbens ramosus, ramis floriferis adscendentibus simplicibus virgatis, 1' longis gracilibus angulatis, pilis appressis sparsis uti folia strigosis. Folia caulina conferta alterna linearia acuta recurvata integerrima, aut denticulis utrinque paucis remotis denticulata, inferiora 1" longa, superiora sensim decrescentia, utrinque pilis appressis minimis strigosa sed viridia. Corymbus terminalis confertus abbreviatus, depauperatus. Pedicelli calyce plus duplo breviores. Calyx cylindricus clausus basi bisaccatus sepalis obtusis. Petala lutea,

lamina obovata, ungue calyce vix longiore. Ger-  
men tetragonum canum stylo brevi cylindrico, stig-  
mate magno 2-lobo. Fructus ignotus. Affine est  
*E. canescenti* Cand. sed differt caule basi frutes-  
cente, foliis minime canescentibus, floribus amplis  
ad illos *E. lanceolati* Cand. fere accedentibus.

7) *Iberis divaricata*: caule herbaceo glabro  
divaricatissimo, foliis lineari-lanceolatis integerri-  
mis, siliculis racemosis 2-dentatis, dentibus por-  
rectis. *I. amara* Scop. carn. 2. p. 16. (ex annotat.)

Habitat in Litorali Austriaco (Sieber.) ☉.

Caulis herbaceus erectus aut adscendens ramo-  
sus, ramis divaricatissimis. Folia lineari-lanceo-  
lata, caulina integerrima acuta, media fere inter  
*I. linifoliam* et *umbellatam*. Corymbi demum in  
racemos elongati. Petala purpurea. Silicula oblonga  
apice 2-dentata, dentibus triangularibus acutis pa-  
tentibus porrectis, nec divaricatis uti in *I. umbel-  
lata*. Foliis et siliculis *I. linifoliam* et *I. umbella-  
tam* intercedit, ab utraque autem floribus racemo-  
sis differt.

8) *Gypsophila scariosa*: caule ascendente fo-  
liisque lanceolato-linearibus glaucis glabris, corymbo  
terminali, ramis 3-fidis glandulosis, bracteis dila-  
tatis, floribus congestis, petalis calyce acuto stami-  
nibusque longioribus.

Culta fuit in horto botanico Pragensi nomine  
*G. arenariae*. 4.

Caules plures fere 2" longi e radice emergen-  
tes adscendentes. Folia plana lato-linearia acuta

nervosa glauca, inferiora subspathulata internodiis longiora. Corymbus terminalis fastigiatus, ramis repetito-3-fidis corymbosis glanduloso-pilosis. Flores majusculi in pedicellis ultimis abbreviatis congesti. Bracteae ad ramificationes ovatae dilatatae albae scariosae acumine recurvo. Calyx glaber, oculo armato subpulverulentus dentibus acutis albo-marginatis. Petala alba oblonga retusa calyce longiora. Stamina 10 inclusa calycis longitudine. Styli 2 exerti stigmatibus capitatis. *G. fastigiatae* L. (arenariae W. K.) quoad inflorescentiam proxima, sed abunde differt floribus bracteisque multo majoribus, calycibus acutis, staminibus inclusis, foliis glaucis lanceolato-linearibus planis nervosis.

9) *Gypsophila squarrosa*: caule adscendente paniculato foliisque linearibus glaucis, paniculae diffusae ramis divaricatis glaberrimis, bracteis squarrosis, petalis calyce acuto staminibusque longioribus,

Culta fuit in horto botanico Pragensi nomine *G. arenariae*. 4.

Caulis adscendens debilis vix 2" altus ab imo ramosus paniculatus patulus, ramis flexuosis divaricatis multifloris. Folia linearia acuta plana crassiuscula glauca vix nervosa. Bracteae ad ramificationes e basi ovatae longe acuminatae recurvatae squarrosae. Flores majusculi. Calyx dentibus acutis albo-marginatis. Petala alba oblonga emarginata calyce fere duplo longiora, stylos adaequantia. Stamina inclusa.

10) *Dianthus lancifolius*: floribus dense fasciculatis, squamis calycis ex ovato-subulatis tubo brevioribus, petalis dentatis, foliis lineari-lanceolatis acuminatis membranaceis nervosis margine scabris.

*D. nova spec. e silvis Banatus. Herbar. Waldsteinianum. 4.*

*D. barbato L.* toto habitu proximus. Folia infima subnulla aut brevissima ad vaginas reducta, superiora conferta fere Panici exotici, viridia tenuissima 5 nervia. Flores densi et fere magnitudine *D. barbati*, squamis e basi ovata tenuissime attenuatis, sed calyce brevioribus.

11) *Lamium Michelianum*: foliis cordatis acuminatis inciso-dentatis cauleque stricto glabriusculis, corollae tubo recto calyce mutico duplo longiori, labio superiori obovato crenato, inferiori utrinque multidenticulato.

*Papia Mich. gen. p. 20. t. 17?*

Habitat in Italia, unde attulit D. Sieber nomine *L. bifidi. 4.*

Caulis simplex strictus pedalis purpurascens pilis brevissimis sparsis uti folia tectus pilosiusculus. Folia petiolata ovato-cordata acuminata inaequaliter inciso-dentata. Verticilli sub 10-flori. Calyx glaber, ore obliquo 5-dentato, dentibus linearibus acuminatis muticis: supremo longiori. Corollae tubus rectus pubescens calycem duplo excedens, galea albo villosa obovata crenata erecta, labio inferiori 3-fido, laciniis lateralibus oblique truncatis acutis

multidenticulatis, media obcordata. Stamina exserta antheris hirsutis. Statura totoque habitu *L. maculato* *L.* proximum; sed differt foliis acuminatis inciso-dentatis, dentibus calycis linearibus muticis non aristatis, tubo corollae recto, galea labioque corollae. Icon Michellii habitum meae plantae non male refert, imprimis formam calycis, licet Michellius monstrum corollis fissis habuisse videtur.

12) *Stachys urticaefolia*: verticillis sub-12-floris, dentibus calycinis lanceolatis mucronatis corollae galeam subaequantibus, foliis cordato-oblongis acuminatis glanduloso-serratis pilosis, caule villosa.

Enata in horto botanico Pragensi inter semina *S. sibiricae*. 4.

Caulis ramosissimus 2-3-pedalis, pilis glandulosis interspersisque villis longioribus obductus. Folia viridia argute serrata, floralia summa integerima bracteiformia atropurpurea. Verticilli 12-14-flori, inferiores remoti. Calyx villosus et glandulosus. Corolla dilute purpurascens, galea ovata calycem subaequante, labio 3-fido plano. Proxima est *S. alpinae* *L.* sed differt foliis acuminatis argute serratis, dentibus calycis elongatis lanceolatis, colore corollae galeaque abbreviata.

13) *Stachys curviflora*: verticillis sub-12-floris, dentibus calycis ovatis mucronatis, tubo corollae incurvo calyce duplo longiori, foliis cordato-oblongis aequaliter crenatis villosis viridibus, caule sublanato.

Culta fuit in horto botan. Prag. nomine *S. alpinae*. 4.

Caulis vix 2-pedalis lanatus, minime incanus. Folia villosa laete viridia, floralia superiora integerrima, vix colorata. Verticilli inferiores remoti. Calyx villosissimus, dentibus late-ovatis breve mucronatis. Corolla purpurea villosa. Media fere inter *S. alpinam* et *germanicam* quoad herbam.

14) *Stachys argentea*: verticillis multifloris distantibus, dentibus calycis subaequalibus subpungentibus, caule erecto, foliisque cordato-ovalibus acutis crenulatis niveo-lanatis subsericeis.

Culta fuit in horto Comitum Rheden Buchwaldae in Silesia nomine *S. intermediae*. 4.

Simillima *S. lanatae*, sed differt caule recto elatiore, foliis cordato-ovalibus, nec oblongis utrinque attenuatis, denique lana, licet nivea densissima, tamen duplo breviori magisque nitente. *S. intermedia* Ait. vere *S. lanatam* et *germanicam* intercedit, sed male a Cl. Sprengel cum *S. sibirica* Link. juncta fuit.

15) *Stachys italica*: verticillis multifloris distantibus, dentibus calycis albo-lanati spinosis recurvatis, foliis lanceolatis crenulatis cauleque canotomentosis.

*S. minor italica*. Sabb. hort. rom. 3. t. 40.

*S. italica* Mill. dict.

Vidi cultam in horto bot. Prag. 4.

Caulis subramosus dense tomentosus incanus. Folia inferiora lanceolata in petiolum dilatatum at-

tenuata, superiora latiora sessilia. Verticilli capitati. Bractee lineari-lanceolatae mucronatae. Dentes calycis inaequales spinula longiori terminati recurvato-patuli. Corolla dilute purpurea, galea ovata crenulata. Tomento denso ab affinibus candicantibus bene differt.

16) *Nepeta scabra*: spicis verticillatis, verticillis confertis multifloris, bracteis lanceolatis pilosis margine coloratis calyces aequantibus, foliis cordato-oblongis crenatis subamplexicaulibus cauleque stricto scabriusculis.

Culta fuit in horto Canalis nomine *N. multibracteatae*. 4.

Caulis strictus 4-gonus pilis brevibus scaber, apice paniculatus polystachyus. Folia lanceolato-oblonga acuta basi profunde cordata brevissime petiolata subamplexicaulia pilosiuscula scabriuscula viridia subtus punctata. Spicae verticillatae, verticillis multifloris, inferioribus remotiusculis subcymosis, superioribus contiguis. Bractee lineari-lanceolatae pilosae, margine diaphanae coerulescentes, medio nervoso-reticulatae. Calyx pubescens. Corolla alba. Toto habitu *N. tuberosae* proxima; *Nepeta* vero *multibracteata* Desf. et Link. quam maxime differt foliis ovato-cordatis, verticillis remotis, bracteis setaceis.

17) *Nepeta cyanotricha*: cymis axillaribus multifloris secundis racemosis, calycibus lanatis coloratis corolla duplo brevioribus, foliis ovato-cordatis petiolatis crenatis apice rotundatis glabriusculis.

Colitur in hortis promiscua cum *N. longiflora* Vent. 4.

Caules plures pedales diffuso-adscendentes ramosi pilis minutissimis pubescentes e radice provenientes. Folia laxe petiolata cordato-ovata, versus petiolum producta, obtusissima crenata utrinque viridia, oculo nudo glabra, armato pilis minutissimis obsita. Cymae axillares oppositae, laxe pedunculatae multiflorae, racemum terminalem secundum constituentes. Bractee lineares longitudine pedicellorum. Calyx striatus lana ut plurimum cyanea obductus. Corolla coerulea. *N. longiflora* Vent. proxima, ast *N. longiflora* differt foliis subtus cano-tomentosis minus rotundatis, cymis paucifloris breve pedunculatis subspicatis.

18) *Nepeta mollissima*: cymis axillaribus multifloris densis subspicatis, calycibus tomentosis tubo corollae brevioribus, foliis petiolatis cordatis acuminatis dentato-serratis rugosis cauleque mollissime tomentosis.

Culta fuit in horto bot. Prag. nomine *N. incanae*. 4.

Caulis a basi paniculatus canescenti-tomentosus suffuso rubore. Folia graveolentia oblongo-cordata acuminata valde rugosa, imprimis subtus canescentia. Cymae in spicas basi interruptas confertae. Bractee lineares calyce tomentoso albido breviores. Corolla rubella, labio inferiore rubro-punctato barbato lateribus reflexo. Inter *N. Catariam* et *incanam* fere media.

19) *Nepeta Calamintha*: cymis axillaribus

multifloris remotis racemosis, bracteis lanceolatis pubescentibus calyces subaequantibus, foliis cordato-ovatis acutis obtuse dentatis petiolatis glabris.

Culta fuit in horto Canalis nomine *N. violaceae*. 24.

Caulis  $1\frac{1}{2}$ ' altus adscendens flexuosus basi subramosus, obtusangulus glaber. Folia pollicaria aut longiora ovato-cordata acuta grosse et obtuse dentata, oculo nudo glabra, floralia subintegerrima cuspidata. Cymae axillares oppositae strictae pedunculatae dichotomae subdivisae racemum elongatum constituentes, internodio cymis duplo longiore. Bractae lineari-lanceolatae, sed cum eadem in *N. italica* lanceolatae audiunt, quoque lanceolatas dixi, coerulescentes pubescentes calyce sublongiores. Calyx striatus pubescens curvatus, dentibus inaequalibus tubum corollae subaequantibus.

20) *Echium dalmaticum*: caule erecto foliisque lanceolatis sessilibus tuberculato-hispidis, racemo terminali oblongo, spiculis simplicibus laxiusculis erecto-patentibus, staminibus inclusis.

Habitat in Dalmatia. ☉.

Caule foliis inflorescentia coloreque corollae coeruleo *Echio vulgari* L. simillimum, sed spiculae laxiores minus dense imbricatae, corollae fere duplo minores staminibus inclusis. Corolla irregularis lobis 2 longioribus, 3 brevioribus. Stamina 4 (quinto breviori) lobos corollae breviores vix adaequantia. Stylus longe exsertus 2-fidus pilosus. Akenia tuberculata.

21) *Linaria Cyparissias*: caule erecto, foliis sparsis anguste-linearibus scabris, inferioribus confertissimis, racemis terminalibus paniculatis glabris, calcare longitudine calycis.

Habitat in Gallia ad Massiliam.

Radix ignota. Caulis herbaceus strictus  $1\frac{1}{2}$ ' longus teres glaber apice paniculatus, ramis racemiferis, aut raro simplex racemo solitario. Folia sparsa, inferiora valde conferta, omnia anguste-linearia crassiuscula concoloria scabra, oculo armato ciliolata. Racemi terminales multiflori. Bracteae setaceae pedicello breviores. Calycis segmenta linearia tubum corollae subadaequantia. Corolla an alba? *L. repenti* L. persimilis sed minor, calcare subulato obtuso recto incurvove segmenta calycina adaequante. Capsula ovata calyce longior 2-locularis oligosperma, apice dentibus dehiscens. Semina acute angulata, tuberculis minimis asperata.

22) *Galium corsicum*: caule filiformi decumbente retrorsum dense piloso-scabro, foliis senis obovato-spathulatis mucronatis margine scabris, corymbis terminalibus axillaribusque divaricatissimis, fructibus granulatis.

Habitat in montibus Corsicae. 24.

Caulis filiformis basi ramosus decumbens, ramis floriferis adscendentibus digitum longis 4-angularibus, pilis brevibus densis reversis scabris. Folia 5-6 obovato-aut oblongo-spathulata subcoriacea nitidiuscula marginata, margine pilis reversis plus minusve scabra. Corymbi terminales et axilla-

res 3-fidi, pedicellis fructiferis divaricatissimis. Corolla obscura an purpurea? petalis patentibus longissime cuspidatis. Fructus glaber tenuissime tuberculatus. Toto habitu *G. hercynico* Weigel et uliginoso L. valde affine, sed ab utroque characteribus datis diversissimum.

23) *Galium firmum*: caule erecto teretiusculo, foliis 8-nis lineari oblongis obtusis mucronatis coriaceis nitidis margine denticulato-scabris, panicula terminali composita erecta, fructibus glabris.

Habitat in Dalmatia. 4.

Caulis erectus firmus  $1\frac{1}{2}$  — 2' altus, nodosus, teretiusculus, lineis angulorum loco decurrentibus, Folia 8-na patula unguem longa, apice obtusata, mucrone minimo apiculata, margine denticulis minimis scabra tenue coriacea laevia nitida flavescencia. Panicula terminalis elongata oblonga, composita e paniculis decussato-oppositis erecto patentibus, pedicellis ultimis florem subadaequantibus. Corolla parvula alba, laciniis cuspidatis. Fructus didymus, immaturus valde rugosus glaber. *G. Mollugini* L. proximum, sed differt caule erecto rigido teretiusculo, foliis coriaceis nitidis denticulato - nec serrulato-scabris, panicula erecta oblonga, nec divaricata.

24) *Ophrys purpurea*: labello ovato acuto-dentato villosus, columna longe rostrata labello longiori, sepalis interioribus ex ovato-acuminatis sub-3-dentatis villosis abbreviatis.

Habitat in Italia.

Radix ignota. Caulis strictus fere pedalis polyphyllus. Folia oblonga nervosa acuta. Spica terminalis 4-5-flora. Bracteae lanceolatae acuminatae germine longiores. Sepala 3 exteriora oblonga acuta, etiam in planta exsiccata eleganti dilute purpureo colore, interiora 2 brevissima basi ovata et utrinque dente uno obtuso subdentata, apice acuminata, villosa. Cucullus erectus fuscus truncatus, appendice galeata in rostrum longum incurvum desinente terminatus. Labellum ovatum acutum, utrinque dentibus 2 parvis subundulato-dentatis, dilute fuscum villosum, medio pallidum striatum pubescens. Columna longe rostrata multum accedit ad *O. scolopacem*, quam e Creta possideo, et ceterum longe aliena est.

25) *Orchis atropurpurea*: radice palmata, spica ovata densa, labello ovato acuto integro, cornu obconico germine brevior, foliis lineari-lanceolatis.

Habitat in alpihus Austriae, unde hortulanus D. Sieber nonnulla specimina cum *O. conopsea* L. promiscue attulit.

Primo intuitu pro *O. cruenta* Retz habui, comparata vero icone Fl. dan. opinionem meam mutavi. Tuber palmatum aliarum. Caulis pedalis foliosus. Folia angusta linearia, aut lineari-lanceolata, ut videtur etiam maculata. Spica florum densa ovata, in planta exsiccata adhuc atropurpurea. Bracteae lineari-lanceolatae, superiores coloratae, flores subadaequantes. Sepala oblonga obtusiuscula

patentia, 2 exteriora longiora. Labellum ovatum acutum subcrenulatum, nonnunquam obsolete sub 3-dentatum. Cornu gracile obconicum, basi contractum, apice libero dilatatum.

*Additam. ad N. 5.* in Flora 1829 Ergzbl. p. 35. Omissum est, quod hic sub *Leontodo parvifloro* L. *dentatum* et *pinnatifidum* a me in Flora 1824. 1. p. 248. descriptum contraxerim.

*Additam. ad N. 8.* in Flora l. c. p. 37. *Lepidopogon Ponae* potius inscribendum est *L. gnaphalodes*. Multum in hac specie quoad descriptionem vegetationis erravi ex eo, quod solummodo flores ejus, quos separatim examini subjeci, habueram, plantam ipsam vero semel et obiter videram in herbario Sieberiano, in quo specimen miserum nil nisi folia fasciculato-congesta quasi radicalia et pedunculos interspersos quasi scapos exhibens, nomenque Ponae adscriptum, e quo plantam europaeam et herbaceam suspicatus sum, hujus erroris ansam praebuere. Est vero haec planta, uti nunc e herbario Mauritiano completo comitis Kaunitz video, in Sieberi herb. Maurit. ed. 2. n. 354 exhibita, estque frutex ramis crassis nodosis apice foliosis, corymbis terminalibus compositis sessilibus, pedunculis glomeratis.

#### E i n g e g a n g e n :

Abhandlung über die Arzneikräfte der Pflanzen, verglichen mit ihrer Structur und ihren chemischen Bestandtheilen von Dr. Joh. Heinr. Dierbach, Prof. zu Heidelberg u. s. w. Lemgo 1831, Mayersche Hof-Buchhandlung.

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1831

Band/Volume: [14](#)

Autor(en)/Author(s): Tausch Ignaz Friedrich

Artikel/Article: [Plantarum minus cognitarum descriptiones offert 209-224](#)